

TERENTII CHRISTIANI

# D A N I E L,

Sive

COMOEDIA DANIE-  
LIS, STYLO TERENTIANO,  
à CORNELIO SCHONÆO GOUDANO,  
quondam Gymnasiarchâ Harlemonensi,  
conscripta,

In usum STUDIOSÆ JUVENTUTIS,  
ludos scenicos adamantis,

Seorsim edita.



A B O Æ,

---

Excusa à JOHANNE WINTER/  
ANNO 1670.

TERENTII CHRISTIANI  
DANIELIS,

*Actorum Nomina.*

DANIEL, *Propheta.*

CYRUS, *Rex.*

LYTURGUS, *Mystagogus.*

PHYLAX, *Mystagogi adjutor.*

LEONIDAS,  
BALTHASARUS. } *Nobiles.*

ICHTHIBOLUS,  
TORBELLUS,  
MELCHIAS, } *Sacerdotes.*

MYDA, *Danielis puer.*

PHORMIO,  
SYRUS, } *Littores.*

BLEPHARO,  
MESSENIO, } *Fabri.*

PRO-



## PROLOGUS.

Jambici.

**R**ursum me spectatores in proscenium  
Inbet prodire choragus noster, novam  
Vobis datus fabulam. Quid? fa-  
bulam

Dico, sacram ex sacris literis factam comœdi-  
am?

Hanc fabulam dum appello, quis me non putet  
Errare turpiter? Sed fabulam tamen  
Eam futuram prædico: verum sacram,  
Piamq; in actus concinnatam scenicos,  
ASchoneo, scholæ nostræ archididascalos.  
Hic quia suos vobis probari ludos Comicos  
Sepè alias animadvertisit, neutiquam sibi  
In hoc suo studio cessandum existimat.  
Malevolos, qui nunc hoc, nunc illud reprehendunt, nihil

Moratur, quin pulchrum his displaceuisse autu-  
mat.

Abunde illi satis est, si vobis, quos bonos  
Esse arbitratur, placeat. A malis autem  
Et improbis culpari mavult, quam laudarier.  
Atq; optimè sentit, meā quidem sententiā:  
Quando mali non nisi malos probant, bonos  
Incusant, atq; omnibus insectantur modis.

Az

Quos

*Quos non alio pacto ulciscaris rediūs,  
Quāsi allatrantēs negligas.*

*Tum operē precium est eorum audire insaniam,  
Dum contempti, sese nequeunt ulciscier.*

*Sed missos illos faciamus. Vos alloquor,  
Qui cum sitis boni, bonorum industriam  
Juvarē vestris gaudetis conatibus.*

*Adeste, auresq; nobis benevolas. & candidas  
Præbete cum silentio. Ecce prodeuntem, periocham  
Qui vobis est recitaturus comœdiæ.*

### COMOEDIÆ PERIOCHA.

*VERI Dei cultor, & amator Daniel,  
Idololatras vivens inter Babylonios,  
Neq; promissis, neque precibus induci potest,  
Belo Babyloniorum ut sacrificet Deo.  
Mox rege urgente, constanter repugnat: &  
Belum non nisi inanime simulachrum esse asse-  
rens,*

*Eiusq; sacerdotes accusat; utpote  
Qui regem, populumq; suis sycophantijs,  
Dolisq; fallerent. Quod cùm rationibus  
Certis, indicijq; manifestis comprobat,  
Sacerdotes necantur, Belum Daniel  
Sternit, templumq; ejus subvertit funditus.*

### ACTUS I. SCENA I.

DANIEL.

Jambici.

*S*Ummas tibi gratias ago benignissime

Deus,

Deus, pro maxima tua erga me clementia,  
 Qui non solùm ea, quibus corpusculi necessitas  
 Eget, verùm alia etiam plurima, quæ ad gloriam  
 Et honorem spectant, liberaliter mihi es  
 Largitus hactenus. Tu insidias, & fraudes, quibus  
 Homines idololatræ & impii me fallere,  
 Atque illaqueare conati sunt, à me avertisti  
 procul:

Amara in dulcia, tristia in læta, asperaque  
 In jucunda, bonitate tua commutasti mihi.  
 Præterea quòd regi nostro charus sim, quodque  
 is me suis

Proceribus omnibus præpositum, ad maximos  
 Honores extulerit, meq; intimum habeat, ac sua  
 Mihi consilia committat, credatque omnia;  
 Id tibi soli acceptum ferri convenit.

Sed quid ego te prædicem, aut quid laudem mihi  
 Deus?

Nihil unquam tam magnificè quicquam dicam,  
 quin benignitas

Longè id supereret tua. Sed ut nihil est inter ho-  
 mines

Beatum omni ex parte: In hisce prosperis rebus,  
 Et ex animi mei sententia cedentibus,  
 Unum hoc me angit, torquet, & affligit maximè:  
 Quòd impium Beli idolum, haud secus quam ve-  
 rum Numen hic

Coli videam. Cùm tu unicus, verusque sis Deus:  
 Qui quemadmodum cœlum, terramque, & quæ-  
 cunque

His continentur, ex nihilo quondam creasti; ita  
 Nunc admirabili rura prudentia  
 Conservas, ac moderaris omnia. Quæ quidem  
 Quanquam certa, indubitata, multoque omni-  
 um verissima

Sunt; tamen hæc aut nulli, aut paucis admodum  
 Hic potui persuadere hactenus. Imo ne regi  
 quidem

Ipsi, qui nihilo cæteris prudentior,  
 Tuo divino Numine neglecto, idolo quoque  
 Servit turpiter. O cæcitatem abominabilem!  
 O impium perversumque hominum errorem!  
 Quamdiu hæc

Impunita relinques Deus?

Næ tua admirabilis est clementia,  
 Qui vivere pateris, rebusque prosperis  
 Frui hos idololatras. Utinam ita divinæ tuæ  
 Voluntati visum sit, ut aut huic tam execran-  
 do malo

Remedium tandem invenias, aut me ætate jam  
 Proiectum, ex hac vita eximas.

Mori enim malo, quam tam horrendum quoti-  
 die intueri

Spectaculum, à cuius etiam  
 Commemoratione mens abhorrescit mihi.  
 Sed video mystagogum prodeuntem. Hic rur-  
 sus, uti

Opinor, hostias, aut epulas apparabit, ut  
 Belo sacrificetur cacodæmoni. Hinc amoliar  
 Me protinus; ne quod animo ægrè est, conficer

## ACTUS I. SCENA II.

LYTURGUS, PHYLAX.

*Eiusdem generis versus.*

PRÆcepit mihi rex, ut relictis rebus omnibus,  
Magnificum, splendidumque sacrificium Deo  
Nostro Belo apparem. Id nunc sedulo est a-  
gendum

Mihi. Sed vereor ut solus sufficiam tam arduo,  
Gravique negotio. Ascendens itaque & ac-  
cessendus est

Phylax amicus noster, ut hodie opera me juvet  
sua.

Sed commodè herculè illum huc accedentem  
video.

Eum hic præstolabor. PHY. Revisam quid meus  
Agat Liturgus. At ecum opportunè admodum.  
Nihil potuit fieri commodiùs. LIT. Prior ego  
Illum compellabo. Hem Phylax, quò tibi iter est  
Tam mane? PHY. Ad te Liturge. LIT. Quid ne-  
gotii est?

Cedo. PH. Audio Belo apparandas esse viellas,  
Easq; magnas, atq; splendidas: itaque  
Viso, an me adjutore tibi sit opus, quo alias usus es  
Frequenter. LIT. Bene pol facis, & habeo gra-  
tiam:

Jam enim te jussissim accersi. PHY. In tempore i-  
gitur

Me adesse gaudeo, nondum vocatum. LIT. Com-  
modè id

Quidem mihi accedit, nam festinato opus

### 3 TERENTII CHRIST.

Est. quare properemus. Quin rex ipse aderit: itaque

Ne quid prætermittamus, quod ad religiosum  
Ornatum, cultumque Dei pertinere videbitur,  
Nobis magna erit adhibenda cautio;  
*Namq; in divinis rebus negligentem,*  
*Aut foscordem esse, nequaquam decet.* PH. Sapi-  
enter pol facit.

Rex, qui hunc Deum summis honoribus sibi  
Colendum esse arbitratur: cuius numine  
Eius regnum miris est stabilitum modis:  
Cujusque auspicijs omnia hic cedunt nobis feli-  
citer.

A quo enim maxima beneficia accipit, ei ut gra-  
tiam

Referat, æquum esse existimat. LI. Sapitis quidem  
Mea sententia, qui numini tam magnifico  
Se gratum præbet: quique in eo honorando,  
Atque alendo nullis parcit sumptibus.  
Qui quanquam magni sunt, minimè tamen eos  
Puto conferendos, cum infinitis, innumerisque  
commodis,

Quæ hujus Dei favore Babylonii  
Annis sunt consecuti plurimis. Verum nimis  
Hic cessamus diu: ad templum nos protinus  
Conferamus, ut quæ ad sacrificium pertinebunt,  
Absque ulla mora paremus. Ph. Præcede, sequor.

### ACTUS I. SCENA III.

DANIEL, CYRUS, LEONIDAS.  
Eiusdem generis versus.

Quan-

**Q**uanquam video mihi insidias parari  
 Ab hisce cacodæmonum cultoribus,  
 Meque illis invisum esse & ante intellexi,  
 Et nunc etiam multò magis intelligo; tamen  
 Animam relinquam potius, quam à veri Dei  
 Cultu me permittam avocarier. Quòd si  
 Omnino mihi moriendum erit, parvi astimo:  
*Nam qui ita perit, minimè interit, postquam in-*  
*nocentibus,*

*Et præter culpam damnatis, ad cœlum patere  
 Accessum, nobis credendum sit firmiter.*

Quapropter nulli me adversarii suis  
 Terrebunt minis. Ne rex quidem ipse quicquam  
 Profecerit, si ad impietatem hanc me impellere  
 Conetur. Absit enim ut homini magis obsequar  
 Quam Deo. Quanquam illo sat benevolo, com-  
 modoque

**U**sus sum hactenus: cùm famen ab idoli sui  
 Cultu animum mihi planè abhorrere sæpe sen-  
 serit..

Sed ecce egredientem. ad templum illum itu-  
 rum existimo.

Hic subsistam paulisper, ut, quò iter ei sit, sciām.  
**Cyr.** Ehodus, cessatum est satis, In templo para-  
 ta jam dudum

**Credo esse omnia, quare properemus, ne in mora-**  
 simus.

**L**EO. En adsumus Rex invictissime, ad tua  
 Jussa exequenda prompti, atque expediti sedulò.  
**Cy.** Facitis uti decet, quando regi vestro obsequē-  
 tes,

*Ac morigeros vos per omnia præbetis. Sed estine iste*

*Daniel, quem non ita procul hinc stantem conspicio? is*

*Est ipsus. opportunè hercule. Adoriar hominem, &  
Ad templum deducam, ut mecum Deum Belum.  
Adoret, victimasq; offerat. At nihil agam,  
Si illum novi satis. Quod tamen ei faciendum erit  
Aliquando, si benevolentiam, atq; gratiam,  
Quam apud me est consecutus, stabilem & per-  
petuam fibi*

*Esse velit. Sed proprius huc ad me accedit. DAN.  
Salve plurimum*

*Rex invictissime. CYR. Salve Daniel. Quid hic  
Tibi negotij est, aut quem prestolaris? DA. Te mi-  
Domine (hic mihi*

*Accedentem videbam procul: ideoq; manendum  
Aliquantisper arbitrabar. CY. Fecisti bene,*

*Laudo. sed scin' quid ego te nunc facere velim?*

*DAN. Nescio Domine. CYR. Dicam. DAN. Ubi  
voles: quicquid præceperis,*

*Effectum Dabo. CY. Deo nostro Belo sacrificium  
Parari mandavi modò: eoq; nunc me confero.*

*Age, sequere, ac tandem in hacre voluntati*

*Fac pareas meæ. DAN. Prohibeat hoc Deus. CYR.  
Quid ita? cedo.*

*DAN. Quia eum neque Deum esse, neque quic-  
quam aut efficere aut*

*Præstare posse persuasi mihi. CY. Antiquum  
Poi Daniel tu morem obtines. At vide etiam  
Sodes,*

Sodes, ne tibi temeraria illa linguae incommodeet  
 Audacia, ac procacitas; suamqz potentiam Belus  
 Clade, exitioqz, tueatur tuo. DAN. Admodum  
 Meticulosus sim, si illum mihi extimescendum  
 Putem. Alium, cumque verum nos Judaei vene-  
 ramur,

Colimus, atque adoramus Deum. Qui, quem-  
 admodum

Olim creavit, ita nunc quoqz; moderatur omnia.  
 Cy. Facis ut soles, dum nostrum aspernaris Deum:  
 Sed ne tibi os aliquando obturetur, periculum  
 Pol maximum esse existimo,

Quod etiam si tu non metuis, tamen (quod hic  
 Dicendum est serio) malè facis, qui tibi  
 Tuo more, & non nostro hic vivendum putas.  
 Quare si me audias, mitres illam obstinati  
 Animi pertinaciam, atqz, te obsequentem  
 In hac re præbebis mibi.

DAN. Si justum atque æquum esset, quod postu-  
 las mi Domine,

Parerem protinus: sed ad impietatem nemo me  
 Facilè induxit. Cy. Laterem, ut video, lavo.  
 Hem, missum hunc faciamus, & ad templum pro-  
 perè

Accedamus. Tu cave, ne hæc inconsulta temeritas  
 Tibi magnum aliquid pariat malum.

Nunc aliud hocce tempus pustulat: post de te vi-  
 dero. (riculis

DA. Non me latet profectò, in quæm gravibus pe-  
 Mea versetur vita: & quæm multi hic sint in au-  
 la regia,

Qui

Qui me oderunt, quique extinctum volunt: itaque omnibus

Huc viribus incumbunt, ut & honoribus,  
Quos apud regem sum adeptus, & vita spolier  
Insuper. Sed nihil homines moror, modo  
Deum habeam propitium mihi. Quod confido  
fore:

Nunquam enim ille deserit suos. Sed tempus est  
Ut hinc abeam. Tibi commendo vitam, & sa-  
lutem

Meam Deus: tu me tuere innoxium.

*ACTUS I. SCENA IV.*

LYTURGUS, ICHTHYBOLUS, TORBELLUS, cum  
reliquis sacerdotibus, CYRUS,  
LEONIDAS.

*Eiusdem generis versus.*

PARATA, quæ ad sacrificium erant opus, sunt  
omnia

Ichthyobole, reliquos convoca sacerdotes,  
Jam dudum adest Rex. Ich. Hem, faciam pol se-  
dulò.

Demiror quid eos remoretur. Sed adsunt. Com-  
modè hercule.

Ehò fratres, sacerdotes pīj, viri g̃z  
Sanctissimi adeste. Quid vos istic obsecro  
Detinuit tamdiu? ecce hic apparatæ sunt  
Omnia: regis g̃z præsentia, sacrificium  
Ut maturemus, postulat. TOR. Agedum, in no-  
bis nihil est moræ.

Cyr.

CYR. Ehem Leonida, reliquique omnes, hic  
quotquot  
Adestis, accedamus ad aram proprius, &  
In genua procumbamus, Belumque veneremur  
suplices,  
Cujus auspiciis in hoc nostro regno feliciter,  
Prosperèque viximus hactenus.  
Pro quo illius erga nos beneficio æquum est, ut  
ei gratias

Agamus, oremusque ut hunc suum favorem,  
Ac benevolentiam perpetuam nobis, ac stabilem  
Esse velit. LEO. Piè, atq; ut te decet Rex invi-  
etissime.

ICH. Agitedum fratres, nunc cantum exordia-  
mur mysticum,  
Ego præcinam, vos succinite, TOR. Faciamns  
sedulò.

### CANTUS SACERDOTUM:

Sacris canamus vocibus  
Belum Deorum principem:  
Qui nos ab hostis impetu  
Suo tuetur numine.

Hic est Diis præ ceteris  
Honore dignus maximo:  
Invicta cuius dextera  
Nos servat in periculis.

Hic dignus est maioribus  
Noster Deus præconiis:  
Hic evehì solennibus  
Laudem meretur cantibus,  
Inter de nostris vocibus:  
Id te rogamus supplices:  
Hostes que nostros vindica,  
Tuam tuendo gloriam.

ICH. Enge fratres, nisi me mens fallit, litatum est  
Feliciter: nam Belus omnium Deorum  
Potentissimus, annuere visus est mibi nostris  
Precibus. TOR, Et mihi profectò præfagit a-  
nimus

Nescio quid boni. Hinc Rex invictissime,  
 Quæcumque es aggressurus, auguror tibi  
 Successura ex animi sententiâ : talem  
 Cùm protectorem habeas Deum,  
 Qui quicquid vult, vel solo nutu perficit,  
 Cui qui repugnare, aut resistere conatur, nihil  
 Agit: cuiq; ipse haud gravatè cedit Juppiter,  
 Quamvis sævo timendus fulmine. CYR. Hoc  
 quidem

Et antè re ipsa non semel expertus sum, & in  
 Posterum me experturum confido. Ich. Istud  
 quidem

Fiet mi Domine : verùm etiam atq; etiam vide  
 Sodes, ne quod Dei Beli benignitas  
 Indulxit hæcenus, tibi Danielis  
 Intercipiatur impietas: quem inter principes  
 Tuos honore ornatum maximo, versari  
 Quotidiè conspicimus. Cùm ille tamen hunc  
 Nostrum Deum adeò non colit, ut sibi etiam eum  
 Illudendum, deridendumque existimet.  
 Quam certè ignominiam nequaquam impuni-  
 tam fore auguror.

CYR. Ego, quod in hac re me facere dignum est,  
 invenero: (uti

Idq; propediem. Vos in utramque aurem facite  
 Dormiatis. adhæc curetis sedulò,  
 Nè quid Belo desit. De epulis loquor apparandis:  
 Intellexitin' Ichthiobole? Ich. Probè mi Domine.  
 CYR. In aulam nunc revertamur Leonida.  
 Ibi quid de Daniele sim facturus, consilium

Una tecum capiam. Qui nisi morem mihi gesserit,  
Veluti ante benevolentiam meam est expertus, ita  
Nunc iram sentiet. LEO. Recite. CYR. Praecedo,  
sequimini.

## ACTUS II. SCENA I.

CYRUS, DANIEL.

Jambici.

**E**st ut dixi Daniel, peccatum à te maximum est,  
Qui tam procaciter nostrum spēnis Deum:  
Neg<sup>o</sup>, ullis induci potes nationibus, sententiam  
Ult mutes, mihique in hac re te morigerum p̄reas:  
Cuius favorem, ac benevolentiam in te maximam  
Haec tenuis es expertus. DA. Tua erga me clementia  
Est major mi Domine, quām ut eam verbis ullis  
queam eloqui:

Neque quicquam tam magnificè sum dicturus  
unquam,

Quin multò plus tua promereatur benignitas;  
Quare ingratus meritò habendus sim, hominis-  
que indignus nomine,

Si ulla in re refrager tibi.

CYR. Cur igitur non obtemperas? aut cur, quod  
jam toties

A te postulavi, non impetro cum gratia?

Age, ne tergiversare amplius. Crede hoc, in-  
quam, mibi,

Quod-

*Quodcunq; à me optaris, optatum feres:  
Si te hic obsequentem præbeas mibi.*

DA. Abundè multa tua mihi præsttit benignitas:  
Ac proinde jure inhumanus sim, si quid expecte.  
Amplius. CYR. *Age sodes, sine te exorem.* DAN.

Oh, quid me oras domine: quasi  
Orando te hoc à me impetrare oporteat.  
Aufer mihi preces, & justa impera. CYR. *Obe Daniel,* (at rei  
*Superstitiosus es nimis.* DA. Non me superstatio,  
Turpitudo & impietas deterret. Egon, ut scul-  
peile,

Ac vile simulachrum pro Deo colam, idne es  
Auctor mihi? Absit, absit, inquam, à me procul,  
Ut tale quid mihi vel in mentem veniat: tantum  
abest,

Ut animum ad tam horrendum facinus inducere  
Queam. CYR. *Vah, quæ hac est ingenij obstinati  
pertinacia!*

Nunquamne tam blandè tibi dicam, ut animum  
mutes,

Mibiq; desinas adversari? DA. Si hic obsequar  
Tibi mi domine, Deum meum offendam gravis-  
simè: (niel,

Quod minimè ego expedire existimo. CYR. DA.  
Præfractus es pol, atq; pertinax nimis,  
Quām vereor, ne malum aliquod hac  
Tua tibi pariat continuacia. DA. Selam culpans  
ego malum

Esse arbitror: hanc si effugero

quod;

Quodcunque obtigerit, ex quo animo feram, CYR.  
*Istud, atq; fortiter. Sed dic mihi* (Bene  
*Sodes, quod te rogo Daniel.* DA. Quid mi domine?  
CYR. Cum toties tanta affirmes confidentia,  
*Belum nihil nisi statuam esse inanimam,*  
*Hominis manibus confectam, an te hoc impunè la-*  
*turum*

*Credis? neg; Deum extimescis, quem tanta afficis*  
*Contumelia? DAN. Non tam ab illo mihi timeo,*  
*qui nec valet,*

Nec potest quicquam, quam ab ejus  
*Mystis atq; sacerdotibus: qui nullum non mo-*  
*vent*

Lapidem, ut te infensum reddant mihi. Ve-  
*rūm nihil*

Moror. Abunde ipsa sibi patrocinabitur inno-  
*centia:*

*Quæ quidem premi, sed opprimi haud potest.*

CYR. Ab Daniel, eò me redigis, ut nesciam

*Quid faciendum mihi siet: Et vita tua*

Timeo. DAN. Quietο animo esto mi Domine,  
*quod fors feret,*

Tolerabo fortiter. CYR. Vide quid agas. Sed  
*jam satis*

*Verborum est. Si sapiς, vitabis infortunium.*

DAN. Commovi. Væ misero mihi!

Quid autem dixi? ah, erravi. *Miser non est, nisi*  
*Cui Deus propitius esse deficit.*

Sed ut intro me nunc recipiam, tempus mo-  
*net.*

ACTUS II. SCENA II.

BALTHAZARUS, LEONIDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**R**Eviso quid Leonidas agat, ut de eo  
**Quod** heri à cœna inter nos agebamus, lo-  
 quamur

Prolixius. Sed ipse mihi procedit obviā.  
 Nihil hercule potuit fieri oportunius,  
 Accedam, & alloquar. LEO. *Hei mibi,*  
*Quām ego nunc illi timeo, & quām me ejus mi-*  
*seret,*

*Cui certum exitium impendere video.* BAL. Hem  
 Leonida.

*Quis obsecro ille est, cui timere te dicis?*

LEO. *Tun' hic eras Balthasare? non prævideram*  
 Te. BAL. Credo. sed responde ad id, quod te rogo:  
 Et quis sit homo, cui tu timeas male? LEO. *Ah,*  
*quasi*

*Ignores. Daniel est qui in periculum*  
*Vitæ brevi est venturus, nisi regi morem gerat.*

BAL. Ego quoque non parum metuo ne pernici-  
 em fibi,

*Exiliumq; adferat, dum nimium præfractus suæ,*  
*Nullum patitur refragari sententiæ.*

Admonui hominem frequenter, atq; adeo, ut sibi  
 Cōsuleret, obtestatus sum: sed nihil egi hactenus.

LE. *Ego quoq; eadē inculcando, inani operi sāpē*  
*Me defatigavi. Sed quid quæso cum illis agas,*  
*Qui sua sunt execrati pertinacia?*

*Deos oramus Balthazare, ut temeraria*

*Hæc ejus confidentia, meliorem, quam  
Nos arbitramur, consequatur exitum:  
Namque illi ex animo benevolo.* BAL. Ridicu-  
lum, an Diis

Tu eum curæ esse existimas Leonida?

*Qui non solū hunc Belum, sed alios quoq; Deos  
Ubicunque gentium coluntur, illudit,  
Spernitque contumaciter.* LEO. *Verùm mihi  
Herculè videris dicere: Tōb id quò hæcei  
Res sit evasura neseio.* BAL. Ipse viderit.

*Si se servare nolit, quod quidem illi est in manu,  
Pereat, intereat, nihil ad nos attinet.*

Sed video huc accedentes è templo sacerdotes:  
Intro igitur eamus, visamusque; quem exitum  
Hæc res tandem si sortitura. LEO. *I præ, sequor.*

### ACTUS II. SCENA III.

ICHTHYBOLUS, TORBELLUS, MELCHIAS.

*Ejusdem generis versus.*

*Prō Deum atque hominum fidem! quæ est, si  
non hæc insignis est  
Appellanda contumelia? Hem, quid videtur  
Symmiste? TOR. Malo ego illum quovis puto  
dignissimum.* (cordiæ,

MEL. Nihil herculè est loci segnitiæ, neque so-  
Quantum illius ego audaciā, & impias calu-  
mnias

AUDIO. ICHT. *Vah, in cruciatum hinc illum pro-  
cul abreptum oportuit:*

*Ut suo exemplo doceat, quid sit periculi, Deos*

*Contumacibus incessere convitys.*

TOR. Id quidem ego propediem illi eventurum auguror, (ego

Nisi ab insana hac destiterit sententia. MEL. At Nimis vereor (ut hoc inter nos hic dicam liberius) nè

Sua nobis malum aliquod pariat confidentias  
Cùm palam, rege etiam præsente, audeat  
Dicere, Deum nostrum Belum nihil nisi  
Simulachrum esse inanimum, ac statuam vi-  
lissimam.

Quod si semel regi fuerit persuasum, isque illius  
Verbis fidem habens, hujuscē rei periculum  
Fecerit: actum est de nobis omnibus, perimus  
funditus

Una cum uxoribus, atque liberis. ICHT. *Isthuc  
malum* (mibi

Superi avertent spero. attamen nescio pol, quid  
Mens, præagiā infortunij. TOR. Bono  
Animo simus fratres: quod ille molitur,  
Facile, ut opinor, propulsabitur: quando  
Graviter ei minatus est rex, nisi sententiam  
Mutet, Belumq; colendū, adorandumq; censeat  
Sibi. Sin aliter fecerit, regiq; immorigerus esse  
Perrexerit, certum paratum ei esse exitium.

Nunc itaque

Mortis metu obseceturum illum existimo. Et  
Sapiet, mea quidem sententia, si in aula regia  
Inter proceres cum honore malit vivere,  
Quām vitam per cruciatus, ac tormenta finire

Tur-

Turpiter. MEL. Idem & ego futurum spero. Et  
tamen

Quoties præfacta hominis in mentem venit  
Pertinacia, animus in genua, ut ajunt, concidit  
Mihi: nihilque metuo magis, quam ne nobis ille  
Magnam concitet tragœdiam.

Namque inter aulicos, omnesque nobiles

Quām gratiosus sit scio: & quo pacto rex suū  
Animum, suaque concilia ei credat omnia.

ICH. Minimè pol vanū, Melchia, hunc tuum metū  
Ego esse censeo, at contrā cūm mecum cogito,

Quanti hac res sit momenti, haud arbitror regē  
Dissimulaturum diutius:

Cūm omnis populus uno ore passim clamitet,  
Non amplius ferendas esse impii hominis calu-  
mnias.

Cui si obfirmato animo Rex perget adversarier,  
Periculum est, ne illius facilitas, cultusq; divini  
Neglectus, magnos in his nostris regionibus  
Tumultus excitet. Sed nescio quem ex aula regia  
Proculegredientem conspicor. Abeamus hinc;  
Et una consilium capiamus omnes,

Quomodo adversus hujus scelerati conatus nos  
Tueamur, eiq; exitium moliamur deniq;:

Ult quieto, ac tranquillo animo vivere

Posthacliceat nobis. TOR. Placet. Pol dignus est,  
Qui pessimis circumveniatur, ac pereat modis.

MEL. Id ego quidem, quo pacto fieri soleat, o-  
ptimè patitur moram.

Calleo. ICHT. Et ego certè. Eamus nunc, res non

*Ejusdem generis versus.*

Difficile atque arduum est, quod molior; tamen  
 Magna spes habet animum, hanc rem mihi  
 Successuram ex sententiâ. Sed quoniam viribus  
 Humanis effici hic nihil potest, orandus est  
 Mihi Deus, ut meis succurrere dignetur cona-  
 tibus.

Clementissime, atque benignissime Deus,  
 Qui solus in cœlo, terraque moderaris  
 Omnia: qui que ex gravissimis periculis  
 Me sæpe liberasti, oろ te, atque obtestor, mihi  
 Ut nunc præsens adsis, tuaque gratiâ,  
 Atq; ope divinâ animū corroborores: ut in eo quod  
 Tuo, ut arbitror, afflatus numine, aggredior,  
 facinore,  
 Constanter perseverem. Ne permitte mi Deus,  
 Ut impium hoc hominum genus, impune in  
 sanctissimum

Tuum illudat nomen: nosq; tuo divino hac tenus  
 Addictos cultui, irridendos proponat sibi:  
 Adhæc cruciet, affligat, & vita tandem spoliet  
 Infandis excarnificatos modis. Quin pro tuâ  
 Erga nos pristinâ clementiâ effice potius,  
 Ut impostores illi perditissimi,  
 Cassibus, quos nobis innocentibus,  
 Tendunt, ipsi irretiti, pœnas sceleribus,  
 Et fraudibus suis dignas luant: utque  
 Tandem re ipsa nobis declares, quam nihil

Omni-

Omnino aduersus invictam tuam potentiam,  
impiæ (serè  
Idololatrarū valeant machinæ. Tum quām mi-  
Insaniant. & quantopere se fallant, qui cacodæ-  
monum

Suorum præstigiis dementati, insolenter  
Contra te cristas erigunt.

Erit hoc per totum terrarū orbem memorabile;  
Tuoque imprimis gloriosum numini.

Si abominandus illè præstigiator, atque  
Impostor Belus, non magnis viribus,  
Aut gravibus rerum tumultibus, at per me senē  
Imbellem, tuā ope confirmatum, corruat  
Turpiter. Hoc quęlo nunc mihi sic eveniat Deus:  
Ut detecta horum nebulonum

Impietate, atque nequitia, summis tuam  
Erga nos laudibus evchamus munificentiam.  
Eja, bene rem successuram auguror: adeò  
Divino afflatus astro, animus gestit mihi.

### ACTUS III. SCENA I.

LEONIDAS, BALTHASARUS, CYRUS, DANIEL.

Jambici.

Quid nunc futurum arbitraris Balthasare?  
aut quomodo

Ipse evadet miserrimus? cui, cùm in sententiā  
Perseveret constanter, moriendum erit  
Planissime. BAL. Miseret me ejus: nostramq; vicem  
Dolco, quibus amico tam fido, & candido  
Posthac erit carendum: quo facili, atq; cōmodo  
Aliquot annis usi sumus.

LEO. Rerum humanarum hæc est conditio, ut si  
quid cuiquam

Cordi, aut voluptatis sit, eo orbetur brevi.

At compescenda lingua est, crepuit ostium.

Eho rex ipse egreditur. Abeamus Balthasare, ne  
Nos ociosè hic offendat confabulantes.

BAL. Quin maneamus potius, ut audiamus, quo-  
modo

(Enimvero,

Hæc res sit successuræ denique. LEO. Placet. CYR.

Quantò ego diligenter hanc rem mecum cogito,  
Temerariamq; Danielis confidentiam

Magis in animo perpendo, hoc mihi minus

Cessandum, aut connivendum hic esse existimo:

Nam res maximis momenti est, utpote

Quæ ad reipublicæ nostræ, atq; adeo ad regni mei  
Salutem, aut exitium pertineat maxime.

Ideoq; prudenti mihi erit consilio opus.

Quod quidem ego in solo Daniele, de quo nunc  
laboro,

Et cujus vitam in dubium venisse video,

Deprehendisse me puto haclenus. Quapropter hæc

Res non mediocriter animum commovet meum.

Oh, Daniel, quantas tua

Pertinacia paris curas, quas sollicitudines,

Et quam tristem mœrorem adfers mihi! Quem  
quidem

Uteung; toleravi diu, sed nunc eò

Res rediit, ut non sit dissimulandum amplius.

Obsequendum quidem amicis, sed ad aras. At  
Leonidam &

Balthasarum hic consistentes video, nihil herculē  
 Potuit evenire commodius: nam jam jam huic eos  
 Ad me jussissim accersier, BAL. Ultro ad nos acce-  
 dit. hem (stior.

Vultus parum placet, solito mihi videtur tri-  
 Appellemus eum comiter,  
 Animo commoto blanda solet mederi oratio.  
 LEO. Recite isthuc. Plurima salute te tuus  
 Impertit Leonidas, Rex invictissime.

BAL. Majestatem tuam diu nobis salvam atque  
 incolument (isthuc

Deorum conservare dignetur benignitas. Cy. Pro  
 Vestro erga nos animo habeo gratiam: & si quid  
 Uisu venerit, vicissim vobis bene faxim lubens. At  
 Quid est, de quo hic inter vos colloquimini? seriæ  
 Rem esse arbitror, modo fronti sit habenda fides,  
 Quæ in vobis videtur esse parum lœta, atq; hilaris.  
 Agite, ne celate, si quid est, quod vos solicitos  
 Habeat: inveniam remedium isti ægritudini.

BA. Et tu mi Domine, quam soles videre tristior,  
 Quæ res animos nostros percellit maxime.

CYR. Quo pæto possem lato esse vultu, quando  
 tanta me

Cura, atq; solicitude premit. De Daniele  
 Loquor, qui cum certum sibi videat adesse exitiu-  
 um, tamen

Non magis movetur, quam si saxum sit adamani-  
 tinum.

LEO. Idem, mi Domine, & nobis lucrum adfere  
 gravissimum,

*Atque adeo de eo hic inter nos loquimur, tantum hominis*

*Mirati confidentiam. At at, Lopus est in fabula,  
Ipse egreditur foras. Cy. Is est profecto: copellabo  
Eum, atque de eadem re obtundam denuo.*

*DAN. Audire mihi visus sum vocem regis, atque  
ecccum;*

*Salve Rex clementissime. Cyr. Salutem tibi  
Vix ausim precari Daniel, quando salutem  
Tuam ipse negligis, vitaq; periculum  
Videns, volensque aduers tibi. DAN. vita hujus  
jacturam ego* (te,

*Parvi aestimo domine, quae nullo etiam auferen-  
Per se fluxa & fragilis est. Majori mihi  
Curae est animus, quem extincto corpore  
Salvum atque superstitem futurum credo. CYR.*

*Recte Daniel,*

*Sed hoc sapientis esse tecum cogita,  
Nunquam tam obscurato esse animo, quin si quid  
aut tempus,*

*Aut usus, aut res suadeat tibi, lubens,  
Atque cupidè amplectare. Tum ut salutare  
Consilium dantibus hand gravatè pareas,  
Quod tu quidem minimè tibi faciendum  
Existimas: cum non ignores, quam grave  
Periculum tua isthac pertinacia accersas tibi.  
DAN. Si hoc quicquid est periculi, sine culpa ef-  
fugere queam* (tibi.

*Domine, nequaquam me difficilem præberem  
CY. Quam tu mihi culpam commemoras Daniel?*

*Enim*

Enim vero jam reticere nequeo amplius,  
 Name a quoq; quæ nolo, tua me loqui cogit  
 Pervicacia. Quoties ego tecum de eadem  
 Re egi, quoties pro omnibus meis in te beneficijs  
 Oravi, atque obtestatus sum te, ut in hoc negotio  
 Obsequereris mihi, cum tamē nihil impetraverim  
 Unquam. Quin nunc quoq; cum de eodem serio  
 Tecum agam, me aversaris tam illiberaliter.  
 DAN. Pro summa tua erga me benignitate  
 Hoc tibi debeo Domine, ut manibus, pedibus-  
 que noctes

Atque dies pro salute tua & regni cui  
 Incolumitate enitendū putem mihi: cum capit is  
 Periculum libenter subeam, dum prosim tibi.  
 Sed ad impietatem (ut tua pace isthuc dicam)  
 nemo me

Facile impulerit. CYR. An impietas tibi vide-  
 tur impudens, (ctenus

Deo isti te præbere supplicem, à quo tanta ba-  
 Beneficia consecuti sumus? Et cuius numine, hoc  
 Nostrum regnum tot annos felicissime  
 Floruit, DAN. Deo vero, cœli, terræq; conditori  
 Istuc acceptum ferri convénit: non isti Belo, qui  
 Neque valet, neque pereat quicquam. Qui quem-  
 admodum

Hominum manibus est fabrefactus, ita cōminui  
 Atque in nihilum ridigi poterit facilimè.

CYR. Ab, Daniel, non te ea loqui pudet? cum &  
 vitam, & animam ei

Inesse indubitatis constet rationibus.

DAN. Quibus obsecro? CYR, Rogas audacissime?  
*Cum tam multo cibo, potuſ ei sit opus*  
*Quotidie?* DAN. Ridiculum, sacerdotes cum uxoribus

Et liberis ea abſumunt omnia. Belo nihil  
 Opus est, inanimæ, mutæ atque imbelli statuæ,  
 Qui cùm os, oculos, nares, atq; aures habeat, his  
 Tamen utitur nunquam. Neque enim loquitur,  
 neque

Videt, neque odoratur, neque audit quicquam.

CYR. *Quid ais omnium?* (ptibus  
 Tun' Sacerdotes hæc, que quotidie magnis sum-  
 Belo apparantur, devorare dicas omnia?

DAN. Dico, dico inquam, atque assero mi domine, omnibus

Istis epulis, vinoque tua quæ liberaliter  
 Benignitas suppeditat, noctu cum suis  
 Illos epulari, ac delitiari affatim. *Tu eſt pugnacis*  
*Quod niſi certis indiciis, ac rationibus*  
 Demonstravero, nullam causam dico, quin mor-

tis supplicium *videlicet mortis* (am:  
 Continuò feram. Cy. Age, placet, periculum faci-  
 Nam in eum res devenit locum, ut necesse fit ex-  
 peririer. *longe*

Agitedum Balthasare, ac Leonida, sacerdotes  
 Ad me sine ulla convocate mora. LEO. Faciemus  
 sedulo.

CYR. Rem magnam esse dicite; ideoq; protinus  
 Huc ut se conferant, curent. BAL. Fiet. CYR. Tu  
 Daniel

*Me sequere intro. DAN. Nihil est quod æquè fecero lubens.*

## ACTUS III. SCENA II.

BALTHASARUS, LEONIDAS, ICHTYBOLUS.

*Ejusdem generis versus.*

**N**ESCIO profectò in quem tandem exitum hæc sit evasura

Tragœdia. Eho, *Quid tibi videtur Leonida?*

LEO. *Ah, quid dicam, aut respondeam planè nescio miser.*

Tam perijt Daniel, quam extrema faba, ut ajunt.

BAL. Certum id quidem. LEO. *O ingentem hominis confidentiam!*

*O inuditam animi pertinaciam!*

*At properemus, ne regem nostra offendamus mom.*

BA. Mones probè. Sed commodè eccum Ichtybo-  
Nobis obviām prodire conspicor. (lum

LE. *Is est profectò opportunè admodum, Alloquar.*

*Ehem, quo tibi iter est Ichtybole? Ichṭ. Ad regem  
Rectà. BAL. Quid cō? Ichṭ. Ut quæ in mandatis  
mihi dedit*

Deus noster Belus, ei exponam. Quæ quidem  
Minimè jucunda, aut grata fore auguror. LEO.

*Quænam illa sunt*

*Sodes? Narra obsecro. Ichṭ. Minatur*

Belus regi graviter, nisi Danielem

E medio tollendum præcipiat protinus.

Namq; impietatem illius non ferendam esse am-  
plius.

BA. *Quid audio? De eadē re Rex nos ad vos misit,*  
*Ich. Oh,* Bea

30 TERENTII CHRIST.  
Beasti. Dignus pol est, qui cruciatibus  
Pereat gravissimis. LEO. *Nos quoque hominis mi-  
rari non satis*

*Possimus impudentiam. Sed audi Ichthybole,  
Quid indubitatis argumentis ostensurum regi  
hodiè  
Se dixerit, homo, omnium qui vivunt audaci-  
simus.*

ICH. *Quid obsecro? LEO. Deum Belum nihil esse  
uisi statnam inanimam, ac*

*Truncum vilissimum. ICHT. O effrontem homi-  
nis improbi*

*Impietatem! Quanquam & antè illum dixisse  
Idem, audivi saepius. BAL. At nunc audi quod est  
gravissimum.*

ICH. Eho, an quicquam etiam amplius. BAL. Ve-  
rò amplius. Cibum

*Omnem, quem quotidie ad vos congerendum  
Curat Rex, non à Belo, sed à vobis absumi, &  
Deglutiri afferit. ICHT. Prò Deum atque homi-  
num fidem!*

*Cui unquam quicquam dictum est contumelio-  
sius?*

LEO. *Nunc itaque nos misit Rex, ut te cum reli-  
quis tuis*

*Symmystis ad se convocaremus. Agedum  
Propera, atq; ceteros, quantum potes,  
Conveni: simulq; omnes sequimini protinus.*

ICHT. Faciam herclè sedulò. BAL. Hac nos redea-  
mus Leonida...

## ACTUS III. SCENA III.

ICHTHYBOLUS, MELCHIAS, TORBELLUS.

Ejusdem generis versus.

**J**anne abierunt illi? Et dicere mihi hic quidvis  
Impunè licet: Enimverò aut malè mēns hario-  
latur mihi, aut

Hic Daniel nobis magnum adferet infortunium:  
Adeo nostras rationes video ab eo undiq;  
Labefactarier. Ut Dij Deaq; omnes eum  
Perdant sacrilegum: qui tantas nobis suis  
Improbis conatibus ceras parit,  
Tantasq; adfert sollicitudines. Verùm nimis  
Hic subsisto diu. Ad symmytas nunc mihi  
Properè eandum est. Quanquam haud lētum  
scio me eis

Allaturum nuncium. Verùm nisi (spicor  
Oculi ballucinantur, procul illos è templo con-  
egredientes. Ibo obviām. MEL. Quòd sàpè aliás  
Dixi Torbelle, idem nunc dico denuo:  
Nisi sceleratum istud è medio tollatur caput,  
Plane actum erit de nobis omnibus. TOR. Est ut  
dicis Melchia.

Qnapropter summis nobis est entendū viribus,  
Ut intereat, atq; extinguatnr scelus. At eccum  
Ichthybolum.

Hicceine eras Ichthybole? Non te prævideram,  
Quo pacto apud Regem res successit tibi?  
Et quid causæ est obfecro, quòd te tam citò  
Conspiciamus reversum. An quia parum venisti  
in tempore?

ICH. Dicam. inter eundum veniebant mihi obvia  
Leonidas, & Balthasarus, à Rege, uti  
Dicebant ad nos missi. TOR. Quā de re? aut quid  
erat negotii?

ICH. Rogas Torbelle? Nescis quo in discrimine, &  
Periculo simus. MEL. Quid ita sodes! ICH. Ah  
fratres, Daniel

<sup>up agia</sup>  
Est, qui hos nobis tumultus concitat. Sed non  
Satis tutus mihi ad commemorandum hic videtur  
Locus. Nec tempus cessandi est: jamdudum enim  
Nos Rex expectat. Quare eamus: inter  
Eundum rem omnem narrabo vobis: simulq<sup>z</sup> con-  
silium

Capiemus, quomodo & illum perdamus: &  
Nos ex isto <sup>re</sup> hoc extricemus malo. MEL. Placet.

### ACTUS III. SCENA IV.

CYRUS, DANIEL, ICHTHYBOLUS, MELCHIAS,  
TORBELLUS.

Ejusdem generis versus.

Vide etiam nunc Daniel, ne temet in exitium  
Temerè conjicias. Nam si ea quæ magna assiris  
Confidentiâ, vana, atq<sup>z</sup>, falsa deprehendantur,  
Actum est, perijsti funditus. DAN. Quæ dixi mi-  
domine,

Vera esse jam faxo re ipsa comperias. CYR. Sed  
cave (obsecro.)

Ne nimium tibi confidas. DAN. Bono animo sis  
Omnia mea mihi meditata sunt: neque quic-  
quam moror

Impostores illos perditissimos:

Qui

Qui cùm foris sunt, nihil illis videtur parcūs,  
Nihilque sanctius, verùm quām luxuriosè, ac  
turpiter

In suis istis nocturnis se gerant  
Commissationibus, quām avidè atq; intempe-  
ranter

Illic abliguriant, ac devorent, quæ comedì à  
Belo suo persuadent credulis, jam faxo ut o-  
mnibus

**S**it notissimum. Cyr. *Satis quidem istud fortiter*  
*Mi Daniel. Verum vide sedes, ne fortitudo isthac*  
*In nervum erumpat tibi. Sed nescio quidnam*

*Sacerdotes remoretur tam diu. DAN. Consilium*  
Inter se capiunt, quo pacto fucum suum,  
Dolumque ocultent: tum quibus fallaciis

Me circumveniant. Sed nihil agunt. *Veritas*  
Ad tempus obscurari, haud opprimi potest.

CYR. *Mira est in tam periculosa, atq; dubia*  
*Re animi tui constantia.*

DAN. Eum mihi securum reddit innocentia,  
CYR. *Esto, sed video procul eos*

*Adventantes. Hem serva: Et ut tibi constes vide.*  
DAN: Deus

Meos conatus uti spero sua juvabit gratia.

MEL. *Satis super hac re consultavimus diu.*

At at regem cum Daniele istic stantem video.

Me miserum! Mens mihi inhorrescit, & pedes  
Suo vix funguntur munere, quando in mentem  
v. nit

Quid de nobis futurum sit; si quidem ille, quod

Magno conatu molitur, perfecerit,  
 ICH. *Estate animo forti, qui infirmioribus*  
*Etiam saepe peperit victoriam. Sed alloquar:*  
*Salve Rex invictissime.* TOR. Salutem tuam  
 Belus, noster Deus, servare dignetur diu  
 Incolumem. CYR. *Quem Deum vos esse dicitis,*  
*Hic non nisi simulachrum vile, truncumque ina-*  
*nimum*

*Esse afferit.* MEL. O impiam hominis impu-  
 dentis

Calumniam! CYR. Tum, quæ Belo quotidie opus  
 esse dicitis,

*A vobis devorari, atque absumi omnia.*

TOR. Pr̄o Jupiter! vereor ne tellus nos absorbeat.

DAN. Nihil nobis hic tale metuendum puto.

Sed ne vobis impostoribus id accidat, pericu-  
 lum est

Maximum. ICHT. Tun' nos impostaores appellas  
 impudens?

*Audiis hoc ô Rex atque impunitum relinquis*  
*Scelus?* CYR. Pœnas equidm mibi dabit grævis-  
 simas,

*Nisi id quod affirmare audet, palam probaverit.*  
*Sin autem illum verè hæc dixisse, & vos nobis*  
*Haec tenus illusisse deprehendero: ad amplissimos*  
*Honores illum evexero,*

*Vobis in cruciatus abreptis atrocissimos.*

TOR. Prohibeat hoc Belus noster Deus, ut nos  
 sycophantiis,

Fallacisq; aliquem decipiamus. Tales sumus

O Rex,

O Rex, atque ita nos gessimus hactenus, ut nihil  
istiusmodi

Quisquam de nobis temerè suspicari debeat.

DA. Vah, Quām religiose, ne unquam fucum cui-  
piam

Fecisse videantur. Mox divina adjuvante gratia,  
Efficiam, ut, quam sancti viri sitis, notum sit o-  
mnibus.

ICHT. *Antiquam pol impietatem tuam obtines,*  
*Quam non diu impunitam fore, tibi nunc de-*  
*nuncio.*

*Quae quidem hoc pacto retegetur commodissime.*  
apponatur

Deo Belo solitus suus cibus, ac potus. Dein'  
Rex Templi fores suo sigillo ipse obseret:  
Ne cuiquam omnino introeundi sit copia:  
*Quod nisi eras absumpta fuerint omnia,*  
Nullum deprecabimur supplicium. DAN. Agite-  
dum, ratum

Esto. Ne crudelissimas

Quidem & ego recusabo pati pœnas, nisi  
Quod jam dixi verissimum esse demonstravero.

CYR. Ita herculè fiet. Nunc abite vos: ego,  
*Quae ad hanc rem porro erunt opus, cumvero,*

#### ACTUS IV. SCENA I.

CYRUS, LEONIDAS, DANIEL, MYDA.  
Jambici.

LEONIDA, fac diligenter apponantur omnia,  
Et ne quid desit cura sedulò. LE. Effectum dabo

Rex invictissime. CYR. Tum vinum effice ut pro-  
matur optimum.

LEO. Fiet. CYR. Echo, quo nunc animo es Daniel?  
nondum

Vereris, ne tibi hæc res cedat infelicitas?

DA. Nihil omnino Domine: Quin mens mihi, ne-  
scio

Quid, præfagis boni. CYR. Miror me hercule:  
Neque quid dicam, aut quid conjectem scio. LEO.  
Apposita

Nunc mi Domine, ut vides, sunt omnia. CYR.  
Bene factum Leonida:

~~Exeamus~~ jam. Ego fores sigillo meo ~~sal~~  
Obsignabo. DA. Hem Myda, cedo cribrum, & ci-  
nerem de quibus

Tibi dicebani modo. MY. Accipe. CYR. Quam  
tu rem novam

Incepas Daniel. DAN. Hac impostura ego  
Impostores illos fallam, ac circumveniā misere,  
Ut imprudentes ipsi in exitium ruant.

CYR. Causam, cur istud facias, non intelligo.  
Perge, sino. DA. At faxo ut mox intelligas. Nūc si  
Placet exeamus Domine. CYR. Probè, ut videris  
ostium

Est obseratum. Nullis jam fallacijs,  
Technis, aut sycophantijs erit locus.

DAN. Illæ quidē eras, nisi quid me fallit animus,  
Manifestò deprehendentur: miraberis  
Mi Domine, ubi videris. CYR. Res indicabit: Hac  
Intro me nunc sequimini.

## ACTUS IV. SCENA II.

TORBELLUS, MELCHIAS, ICHTHYBOLUS.

*Ejusdem generis versus.*

Hem Melchia, jamne  
 Abiit Rex? MEL. Abiit Torbelle, ostio templi  
 Accuratè obserato, Echo, viden'? TOR. Video,  
 atque gaudeo.

Quin prodis Ichthybole? ICHT. Nihil hercè in  
 me est moræ.

TOR. Viden' consignatos fores? ICH. Bene habet.  
 pol commode

De cibo potuq; apponendo, succurrebat mihi.

MEL. Vah callidum consilium. Manifestò tene-  
 tur sacrilegus.

TOR. Jam omni nos tandem exolvemus metu,  
 in crucem

Eo abrepto scelerato. ICH. Ne ille lamentabitur,  
 ubi eras omnia absunta esse viderit.

Sed occidit sol, appetitq; vespera.

Nunc intro eamus: & per occultum istud ostium,  
 ulti consuevimus, templum ingrediamur, &  
 Tofam hanc noctem, unà cum uxoribus & liberis,  
 sumamus hilare; tuta enim hic nobis sunt omnia.

## ACTUS IV. SCENA III.

ICHTIBOLUS, TORBELLUS, MELCHIAS,  
 cum reliquis sacerdotibus.*Ejusdem generis versus.*

Adeste symmiste, cœnam opiperam, atq; splen-  
 didam

Paratam hic nobis esse videtis. Accumbamus; &

*Genio jam indulgeamus affatim.* TOR. Nihil  
Est æquè quod faciam lubens: nam jam dudum  
animus est

Mihi in patinis. Ego quòq; vel lupo esurientior  
Sum. ICH. *Accumbe igitur.* Hic in promptu est  
famelicum

*Quo ventrem exsatures: Echo, quid cunctamini?*  
Paratis semper obfuit dilatio.

TOR. Verè istud à te dictum est Ichtybole. ICH.  
*Nunc quisq; arripiat, quod*  
*Palato maximè sapit. Ego hunc armum ovillum*  
*Distribuedum sumam mibi: ut habeant quod*  
*comedant*

*Malierculæ.* MEL. Pol optimè facis, laudo:  
Atq; hac spumanti paterâ referam gratiam.  
ICH. *Næ tu homo es facetus, atq; lepidus Melchia.*  
*Sed e bibe.* TOR. Attingite quæcunque sunt ap-  
posita: *Nam*

*Apud mensam verecundari non decet,*  
Et hæc nobis cōstant minimo: cùm gratis ea Dei  
Beli benignitas nobis suppeditet quotidiè,  
*Mæ, Ichtybole,* hunc tibi præbibo cyathum. ICH.  
*Sit tibi*

*Saluti Melchia.* TOR. Agedum uxor, matrone-  
que reliquæ,

*Præbete vos hilares.* ICH. *Torbelle, quo pacto tibi*  
*hoc*

*Villi sapit?* TOR. Nunquā in vita bibi meracius.  
TEL. Admovete manum patinis. Hem, quid  
cessatis? Omnia

Nobis

Nobis sunt absumenda. Quisq; se virum  
Præbeat. TOR. Ego meo munere fungor sedulò.

MEL. Nec me  
Edacior, aut bibacior est quisquam. ICH. *Eja,*  
*sic decet.*

Sed pueris ne quid desit curandum est TOR. EAM  
ego mihi

Deligo provinciam. HEM capite. MEL. Cele-  
brandus est

Summis noster Belus præconiis, nobis  
Qui hæc largitur sine sumptibus nostris. HEM  
Bele, Deus omnium

Deorum maxime, hunc tibi craterem præbibo,  
Plenis exhauriendū faucibus. Engè, annuere pol  
Capite videbatur. Totum ebibam. Te Ichthybole  
Deposco, qui pro Belo respondeas mihi.

ICH. *Faciam sedulò, & libenter herculè.*  
TOR. Agitedum fratres, hanc noctem in gaudio,  
Ac lætitia degamus. MEL. HEM, accipe: & vide  
Ichthybole, ut respondeas, idque unico  
Haustu. ICH. *Nil detrecto: fauces enim aridita-*  
*te crepant mihi:*

*Et quo plus bibo, eò sitio magis.* MEL. Ha ha he,  
aquilæ

Ea est senectus. HEM Torbelle, exporrige  
Frontem: videre mihi tristior. Omnem metum,  
Omnemque ex animo ejice ægritudinem.  
Cras illum ad cruciatum abripi videbimus,  
Qui insidiatus nobis est hactenus. TOR. Poenas  
Se dignas patietur scelus.

ICH. *Ob, quām gratum atq; incundum spectaculū  
Præbebit nobis.* MEL. Meritò herculē illi acidet,  
*Qui ab impietate suā nullis se passus est ratio-  
nibus*

Abduci. ICH. *Fratres, nunc abundē exaturati  
sumus.*

Surgamus. TOR. Ubi voles, placet. ICH. *Hem-  
mulierculæ,*

*Auferte, quæ supersunt omnia: nihilq; relinquite  
Præter inanes patinas.* MEL. Precede Ichthy-  
bole,

Nos te sequemur. At at, quid hoc? pedes suo  
Vix funguntur munere. jam tempus est, ut ad  
somnum

Me componam, atque hanc edormiscam cra-  
puam.

TOR. Me quoque vinum vicit planissimè. At  
mox cùm

Accubabā, quām mihi pulchrè videbar sobrius.

ICH. *Obe, dormitum eamus nunc omnes.* MEL.  
Rectè mones.

#### ACTUS IV. SCENA IV.

D A N I E L.

Ejusdem generis versus.

NON me clam est, quām duram nunc susce-  
perim

Provinciam. Verūm mea sic est ratio, & sic  
Animum induco meum, priùs meam me  
Amissurum vitam, quām non perfecero,

Quod

Quod me facturum recepi: Nil impostorum  
minas,  
Molitionesque impias moror: nihil mortis  
Cruciatum, quem intentant mihi, Si morien-  
dum est,  
*Pro verâ religione, proq; Dei nostri*  
*Nomine mori, mihi quâvis vitâ futurum est dul-*  
*cius.*

Dum ne ob malefacta pereo parvi aestimo,  
Sed hoc quanquam planè persuasum habeo, &  
animus mihi  
Confirmatus est satis; tamen  
Humani nihil à me alienum esse sentio,  
Qui totam hanc noctem insomnem duxi: etsi  
nullo ex metu hæc mihi  
Oritur animi commotio: neque ex periculo,  
A quo me divina, uti confido, liberabit  
Clementia. Quid igitur? Cùm mecum cogito,  
Quæ crastino die impostorum istorum sit futura  
Lamentatio: quando miseris se videbunt  
Circumventos modis: quæ regis indignatio:  
Quæ uxorum, liberorumque ejulatio:  
Quæ bonorum gratulatio, qui que plausus:  
Tum quæ rerum sit exoritura commutatio:  
Hæc inquam, aliaque similia in animo conside-  
rans,  
Ac perpendens, non est mirum profectò, si  
Somnum hac nocte oculis non viderim meis.  
Nunc credo eos  
In suis epulis, & commensationibus

Esse totos: atque adeò, ut jam noctis tempus est,  
 Cibo, potuq; oppleros, obrutosque altum  
 Stertere, impudentis securos periculi.  
 Dormian: ego illos, ut merentur, excitabo  
 Sacrilegos. Nam mihi Deum adjutorem consi-  
 do fore:

Qui per me, suum famu'um execrables  
 Cacodæmonum regi omniq; populo revelabit  
 Astus, fallacias, & sycophantias.  
Quibus illi simplices homines, ac credulos  
 Miserè fefellerunt, atque illuserunt hactenus:  
 Præterea cunctis majestatem, numenque osten-  
 det suum.

Quæ ut ita nunc eveniant, oro atque obtestor  
 mi Deus.

Sie tua potestas evadet celeberrima,  
 Si his impiis per me reiectis fraudibus,  
 Abominabile istud idolum evertatur turpiter.  
 Age age, bene rem successuram mens auguratur  
 Mihi, ita nunc gestit gaudio. Ibo intrò, & si-  
 mulac diluxerit,  
 Ad Regem ibo, ut nihil in me esse moræ intel-  
 ligat.

*ACTUS V. SCENA I.*

CYRUS, DANIEL.

*Jambici.*

Quid, itane ad clarum dormivi diem? quan-  
 quam  
Majorem noctis partem degi insomnem; adeò  
 Sum

Sum sollicitus, in quam tandem hæc res sit eva-  
sura

Catastrophen: adeoque metuo, ne Danieli  
Infeliciter hæc cedat confidentia.

Qui si falsò sacerdotes accusasse

Deprehendatur, nulla causa est, quin diris cru-  
ciatibus

Afflictus, miserè pereat protinus. Quod idē quoq;  
Sacerdotibus eveniet, si fucum nobis ab illis  
Factum esse constiterit: At nimium Danieli  
Timeo male: cui ex animo cupio optimè. Neq;  
id herculè

Mirum, cùm illius operâ, ac consilio hactenus  
Usus sim felicissime: cumque ipso auctore nihil  
Unquam sim agressus, quod non prosperè suc-  
cesserit.

At eccum eum exeuntem. quām quietus, ac  
Tranquillus sit vide. DAN. Regem loquentem  
Audire hic videor mibi. Diem felicem, & pro-  
sperum

Tibi opto Rex invictissime. CYR. Habeo gratiam  
Mi Daniel, idemque tibi reprecor. Sed ne id  
precer

Tibi frustra, nimis herculé metuo. Quòd si  
Nunc etiam à pertinaci, atque isthac proposito  
adamantino

Recesseris, & culpam confessus, Belum mecum  
adoraveris,

Non solum hæc, quæ ingenti reipublice tumultu,  
Magnoque meo dolore hactenus es molitus, tibi

Igno-

**I**gnoscam, verum etiam ad dignitatem maximam,

**A**mplissimosque honores praे omnibus reliquis  
Meis te proceribus effera.

**N**ihil optabis, quin opatum feres. DAN. *Absit*  
**M**i domine, ut vana, atq[ue] brevi rerum terrenarum  
gloria

**A**vero me abduci patiar. Quanquam tuorum  
Erga me beneficiorum tanta est copia, ut nihil  
Addi queat. Sed ad templum nunc, si uidetur  
Eamus. Ibi impostorum istorum tibi retegam fal-  
lacias.

**C**YR. Mirabor, si tu isthuc nobis effeceris.  
Præcedamus nos Daniel, vos sequimini.

#### ACTUS V. SCENA II.

**I**CHTHYBOLUS, MELCHIAS, TORBELLUS.  
*Ejusdem generis versus.*

**E**Ho diluxit. Cesso pulsare ostium  
Melchiæ? At ipse opportunè exit foras. Hem  
Melchia.

**M**E. Quisna est qui me? Tun' hic eras Ichthybole?  
Quid hic tam mane, qui noctu tantum biberas?

**I**CHT. Neque

*Quiescendi, neq[ue] dormiendo mihi fuit  
Copia: Ita nobis à sceleratis Danielis machinis  
Cavere nos tempus monet.*

**S**ed ecce Torbellum. Torbelle, quid nobis  
Adfers? TOR. Egon? Nihil me herculè, nisi caput  
Nocturna gravatum crapula. Nunquam pol,  
quoad sciām,

Cœnâvi delicatiūs, nunquam prolixius.  
 Non vinum, per Jovem, mihi videbatur,  
 Sed nectar merum. ICH. Valeant ista. Aliud hocce  
 Tempus postulat. Jam, ut opinor, aderit Rex.  
 TOR. Adsit ubi volet: In portu nos navigamus  
 incolumes.

ME. Ita spero. TO. Speras Melchia? Vah, certa res  
 Est. In Danielem cedetur faba. Ecce regis  
 Sigillum illæsum, atque integrum.

MEL. Video. TOR. Ad hoc consumpta intus de-  
 prehendentur omnia.

Sed ecum regem accedentem. ICUT. Cedamus  
 illi paululum:

Atq; à templo abeamus longius. Mox hucreversi,  
 Exoptatum nobis conspicimus spectaculum. MEL.  
 Fiat.

### ACTUS V. SCENA III.

CYRUS, DANIEL, LEONIDAS, ICHTYBOLUS.  
 cum reliquis Sacerdotibus.

Ejusdem generis versus.

AD templum venimus. cera inviolata, & integra  
 EST. Væ tibi Daniel. DAN. Nihil

Metuo quicquam Domine: Confringe sigillum,  
 Atque ostium aperiri jube. CYR. Hem, factum est.

Ingridiamur. DAN. Sequor.

CYR. Pol magnus es Bele, neque quicquam in te  
 est doli.

Heus, Heus, ades dum Daniel. Vides hic nihil  
 Ex ebulis besternis relictum? O te miserrimum!

DAN.

DAN. Non ego miser Domine; sed faxo ut hos  
miseros

Esse fateare, qui suis technis, & fraudibus  
Tibi os subleverunt hactenus. CYR. O ingentem  
hominis improbi

*Audaciam!* DA. Ne vociferare mi Domine.

Quin potius, quænam hæc sint pedum vestigia,  
Quæ passim conspicis, tecum perpende sedulò.

Hem,

Mane sodes, nec quoquam longius progredere.

CYR. Pro

Deum immortalium fidem!

Quorum tu hæc esse arbitraris vestigia?

DA. Sacerdotum procul dubio, eorumq; uxorum,  
Et liberorum. CYR. Siccine suspicere Daniel?

DAN. Non suspicio hæc est mi Domine: indubia-  
tata res

Est, ac certissima. CYR. Videris mihi verisimile

Dicere. Vah, mihi sic verba esse data dispudet.

Ebo, trahite hoc ad me impostores istos impios.

Hem, quid cessatis? LEO. Effectum dabimus Rex  
invictissime.

CYR. Digni sunt, qui indignis pereant modis. LEO.

Vah, hiccine

Statis sacrilegi? ICHT. O nos miseros! LEO. Com-  
prehendamus mastigias.

ICHT. Ah, quid peccavimus obsecro? LEO. Jam id  
quidem factum est

Palam. ICHT. Quid? cedo sodes. LEO. Procedite:  
in templo

Vos opperitur Rex, ibi scietis. Quid tergiversantur

Scelesti, pugnum iis in os nisi sequuntur ingere,  
Adducimus tibi Rex, quos voluisti. Cyr. Bene  
Fecistis. O impostores! O homines, omnium  
Qui vivunt, sceleratissimos!

ICHT. Haec sine sunt regis verba? Cyr. An mutire  
etiam nunc audes scelus?

ICHT. O miseria! Cyr. Siccine nos dignos arbitrii  
estis,

Quos ludificandos vobis proponeretis?

Tamque sceleratis circumveniretis dolis?

ICH. Quid delinquimus obsecro? Cyr. Rogas, quid  
deliqueris impudens?

Res manifesta est. Ilnde haec vestigia? ICHT. Que  
vestigia? Cyr. Ah,

Nondum vides homo impudentissime? vestigia  
haec

Vestrorum sunt pedum, uxorum atque liberorum  
Etiam: quod satis ipsa arguit diversitas.

Quod nisi statim rem, uti se habet, expedieritis  
mihi,

Vos omnes una cum uxoribus, & liberis  
Discruciandos tradam tortoribus. ICHT. Eheu  
nos miserrimos!

Cyr. Vah, dicite inquam, idque ocyus, unde haec  
sint vestigia.

Ebo, cunctamini? Rapite eos hinc ad carnifex,  
Ut tormentis verum exprimant. ICHT. Mi Domine, næ saevi

*Sedes tantopere. Omnes rem indicabimus. Cyr.  
Loquere*

*Igitur. Quid cessas? Icht. Sub mensa occultum  
est ostium,  
Per quod ingressus in templum, & regressus  
Nobis semper patuit. Cyr. O nunquam auditam  
audaciam!*

*Visamus Daniel. Pro summe Jupiter!*

*Siccine Belus quotidie multis indiget?*

*Vix mihi temporo, quin in capillum vobis invoca-  
lem*

*Impostoribus. Icht. Eheu, clementiam tuam  
Imploramus Rex mansuetissime. Cyr. Auferte  
mihi preces, quibus*

*Efficietis nihil. Vincos omnes abripite hinc, &  
sternite,*

*Procultate, ac trucidate illos protinus.*

*Quin etiam intereat, quisquis vos audet remo-  
rari.*

*Ich. Misereat te nostri Rex clementissime.*

*Cyr. Vah, nullus jam clementiae est locus. Ab-  
ripite*

*Inquam illos ex oculis meis continuò: &, ut  
Dixi, sine ulla interimite morā. Ich. Heu nos  
infelicissimos!*

*Cyr. De uxoribus vestris, & liberis, mihi  
Quid sit statuendum, mox video. Hem, abripite  
tergiversantes.*

*Et fustes, nisi sequuntur impingite. Dan. Quid  
nunc tibi*

Videtur domine? Cyr. Daniel,  
Te magni precij hominem esse, meritò semper ar-  
bitratus sum:

*Et post hac à me multò pluris estimaberis:  
Quem ego quidem quovis honore dignum judico.  
Nunc tibi Belum hunc in manus do, abutere  
Eo, uti voles. Tum templum illius si videtur,  
Evertito.* DAN. Gratiam tibi mi Domine habeo  
maximam.

Cyr. Eamus hinc: pudet enim me, pigetque in hoc  
Exeundo loco diutius morarier.

### ACTUS V. SCENA IV.

PHORMIO, SYRUS, ICHTHYBOLUS, MELCHI-  
AS, TORBELLUS.

Ejusdem generis versus.

R Ursumne restitatis ignavi? Syr. Colaphos,  
nisi

Se moverint, impingamus nequissimis.

ICHT. O nos miserrimos! PHO. Supplicium ve-  
stris sceleribus

Dignum luetis. MEL. Væ, vae nobis infelibus!

Convincimur veris, & me mei pudet. Syr. Satis  
Jam querelarum est, satisque cessatum. Perve-  
nimus

Ad locum, ubi aut lapidibus obruendi, aut aliis  
Quibuslibet modis trucidandi sunt perfidi.

TOR. O miseriam! PHOR. Nunc aut saxa in eo  
conjiciamus, aut

Transfigamus nequissimos. Syr. Agita Nom-  
frenuos

Viros nos præbeamus. ICHT. *Heu me miserum!*  
*Differor*  
*Doloribus.* MEL. *Itane mori miserum est?* TOR.  
*Maturate fodes,*  
*Et subita morte perimite nos infelices.* PHO. *In*  
*hoc*  
*Equidem versamur sedulò.*

SYR. *Collapsi in terram, extremum jam exhala-*  
*runt spiritum.*

PHO. *Trahamus intro cadavera, ut sub vesperum*  
*Sepeliantur alicubi.* SYR. *Placet.* PHO. *Nunc*  
*intro eamus, &*  
*Hilarem hunc sumamus diem.* SYR. *Nil pol fe-*  
*cero lubentius.*

### ACTUS V. SCENA V.

BLEPHARO, MESSENIO, DANIEL.

*Eiusdem generis versus.*

M<sup>I</sup>ror quid sit, quod nos ad se vocari jussit  
 Daniel?

Tum, ut vectes, atque secures adferemus. MES.

*Neque ego quid*

*Cause sit scio: nisi quod sacerdotes Beli audio*  
*Mortis hodie esse afflictos suppicio.* BLE. *Sic est:*  
*Atque ideo forte in templo nobis demolien-*  
*dum erit*

*Aliquid: Nam eò uti veniremus, per servulum*  
*suum*

*Et fundavit nobis. Quare properemus, ne nostra*  
*nunc*

Offen-

Offendamus mora. DAN. Nescio quid remoretur fabros,

Quos huc ad me jam dudum jussi accersier.

Sed procul huc illos adventare conspicor,

Securibus, atque vectibus probè armatos.

MES. Hem Blepharo. Danielem video stantem ante ostium

Templi: nostrum adventum opperitur, ut arbitror

BLE. Adeamus ad eum, atq; appellemus comiter.

MES. Salve vir honorande. DAN. Salvete viri.

Bene

Fecistis, quòd maturius adestis. Sequimini me

In templum: ibi est, in quo vestra mihi opera erit

Opus. BLE. Neque hic, neque alibi usquam in nobis erit mora.

MES. Impera, ac factum puta. DAN. Benignè dicitis.

Hoc Beli simulachrum prosternite, atque humili Projectum comminuite, ac conculcate protinus.

BLE. Hui, Deum Belum nobis uti violemus, præcipis?

Prohibeant hoc superi. MES. Ego hercè eo sce-lere meas

Non ausim polluere manus. DA. Nihil periculi est.

Non ille Deus est, sed inanima, & vilis statua, minimo

Sternenda negotio. Agite sodes, experimini, & Vectes, cuneos, atque secures illi admovete for-titer.

MES. Tantum profectò tamq; nefandum commit-  
tere

Non ausim facinus. Tu si me fortè audaciores  
 Blepharo,  
 Ehodum, admove manus. BLE. Absit Messenio.  
 DAN. Vah, quid statis meticulosi. Nihil hinc vo-  
 bis mali  
 Eveniet, ad me recipio. Quin templum quo-  
 que hoc  
 Totum evertendum erit vobis. Agite, nulla  
 Vos remoretur cunctatio.  
 MES Hem, vis quidem hæc est. Quid? cogis nos?  
 DAN. Cogò atque impero.  
 BLE. Faciamus herculè sedulò, sed hac quidem  
 Conditione, ut si quid fortè hinc evenerit  
 Inselicius, tu accusandus sis solus, utpote  
 Qui nos invitòs huc impuleris. DAN. Ratùm  
 Esto: manus tantùm admolimini. MES. Æreus  
 Hic est Deus profecto, & intus plane luteus. BLE.  
 Jupiter  
 Supreme! quam ego novam rem video? Dii vos  
 perdant sacrilegos,  
 Qui credulos nos yestris fucis, ac fallaciis  
 Decepistis hactenus. DAN. Jam dudum illi di-  
 gnum suis  
 Sceleribus perpessi sunt supplicium. Vos per-  
 gite,  
 Et impium monstrum prosternite, atque humili  
 Præcipitate strenui. Tuere te  
 Nunc Bele, si quid divinæ in te habes potentiae.  
 MES. Ha, ha, ha, præceps in terram corruit mi-  
 ser. Ne ille

*Ficulnus plane, atq; imbellis Deus est. BLE. O nos  
stultiissimos,*

*Qui truncum hunc pro Deo nobis adorandum,  
ac*

*Colendum censuimus! DAN. Nunc templum  
aggredimini alacriter,*

*Totumque evertite, atq; solo æquate. Quòd ubi*

*Fuerit effectum, mercedem vestris laboribus*

*Dignam faxo ut habeatis protinus. MES. Facie-  
mus herculé*

*Sedulò. DAN. Næ res hæc cessit mihi feliciter.*

*Sed absit ut in hac re mihi quicquam arrogem.*

*Quin divino potius est ascribendum numini,*

*Quodcumque hic est gestum. Humanum nihil  
potest*

*Ingenium, nihilque nostra valet industria.*

*Sed intro eo, & fabros dum veniant opperiar  
domi.*

*MES. Nunc diruta, eversaque sunt omnia Ble-  
pharo:*

*Nihil jam restat, nisi ut pretium*

*Nobis debitum petamus, in quo Danielem*

*Promptum, paratum, atque benignum fore ar-  
bitror.*

*BLE. Eamus ad illum, & accepta pecunia, diem*

*Hunc læti, atque hilares transigamus. MES. Hem,  
placet.*

Jambici.

**H**ic desistemus spectatores optimi:  
 Nam plura his auctor adiencia non putat.  
 Cum historia ad perfectum sit deducta exitum.  
 Quae autem sequuntur ibidem in sacris Biblijs,  
 Nimirum quopacto Dracone occiso Daniel  
 Objectus sit leonibus, & Divino Numine  
 Servatus integer, salvusq; evaserit:  
 Hec noster addenda sibi non putavit, utpote ab  
 Hoc argumento aliena; & ex quibus alia confici  
 posset actio. Neg; hæc eò arbitrabitur  
 Nunc quisquam dicta, quod poëtam istum al-  
 terum,  
**Q**ui ea conjunxit, reprehendendum putemus:  
 At  
**O**b id solum, ne quis, ut imperfectam, atque mu-  
 tilam  
**H**anc nostram rejiciendam censeat comœdiam.  
 Nunc superest, ut vobis agamus gratias,  
 Quorum silentio, ac modestia, noster  
 Hic ludus scenicus stetit feliciter.  
 Quæ sanæ res auctori ad alias fabulas  
 Scribendas, nobis verò ad agendas maximum  
 Nunc addit calcar. Neg; necesse esse arbitror,  
 Ut bujus sacræ historiæ vobis mysticum  
 Hic explicem sensum: cum is cunctis sit notis-  
 simus.  
**N**imirum hominem probum, atque pium etiam  
 inter impios

In-

BIBLIOTHECA  
D A N I E L.

55

Incolumem, ac tutum fore semper, Deo in omnibus

Rebus ei auxiliante. Hinc itaque solatiune  
Petemus, si forte in homines incideremus  
Malos: rati a nullo nos posse laedi, modo Deum  
Habeamus adjutorem, ac propicium. Nunc si  
Quod actum est, vobis non displicuit, plaudite.

F I N I S.



I VI L R